



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XVII. De Amore proximi, & ordine Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

scam, & Mercedem posco, quia pasco? Nullo modo fieret hoc; nullo modo merces quaveretur ab eo, qui gratis amatur, nisi merces esset ipse qui amatur. Habentur similia Tract. 51. in Joannem, & in Psalm. 53. Imo nisi sit spes adhærendi firmissima charitate summo Bono, in qua adhæsiōne consistit beatitudo, non erit amor gratuitus, quia verus & castus amor percipi nequit sine boni incommutabilis aut desiderio, aut fruitione. Qui ergo non habet spem beatitudinis, perfecte non amat, quia non desiderat frui summo bono. *Frui enim est amore inbarere alicui rei propter se ipsam:* inquit Sanctus Pater lib. 1. de Doctrina Christi. cap. 4. Recte S. Thomas consimili argumentatione probat 1. 2. q. 65. art. 5. non dari veram sine spe (in hac vita) charitatem. Etiam S. Bonaventura in 111. dist. 26. art. 1. q. 1. docet gratuitum amorem non expectare temporalem mercedem, at non ita ratiocinandum de gloria aeterna, *Quia maxima charitas maxime desiderat uniri Deo.* Hinc Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 8. eos qui dicunt, *Diligimus Deum, sed non quarimus præmium, ne mercenarii simus;* ait esse tam stultos, ut se ipsos non intelligant, eadem producta ratione, quoniam, *si aliud quæres ab ipso, gratis non amares: sed non amares, si non desiderares.* Atque his diluitur etiam tertia objectio.

12.
Solutio 2.

Ad 2. respondemus hoc concupiscentia nomen significare tam prævum, quam rectum desiderium, ut explicavimus Tom. 2. p. 340. negamus autem amorem concupiscentia, sive spei, qui fertur in sempiternam felicitatem, tendere in creaturam rationalem tanquam in ultimum finem. Qui enim finem amoris, quo Deum diligit in propria utilitate

constituit, impius est, & sacrilegus: & amor spei, quem dicimus amorem concupiscentia, debet esse amor concupiscentia in finem ultimum directæ, ita ut propriam felicitatem quisque amet comparate ad Deum, ut scilicet ipsi amore jucundissimo inhæreat. Ita docet S. Franciscus Salesius lib. 11. de Divino amore cap. 17. Quare amor concupiscentia, & spei, qui fertur in propriam beatitudinem, ac posset in prævum finem deflecti, non defectu ipsius spei, sed vicio sperantis, dirigi debet charitate; ita ut præcipuus finis sit Deus, id est, ut diligamus quidem æternam vitam, sed intentione adhærendi Deo summo, & incommutabili bono. Id vero fit, quando petimus ut regnum Dei adveniat, non ut Deus mutetur in nobis, veluti dum appetimus cibum; sed ut nos immutemur in Deo, & in ipso vivamus, perficiamur, beatificemur; eundemque perpetuo contemplemur, & diligamus. Quapropter sicut dum appetimus cibum, ut convertatur in carnis nostræ substantiam, illum appetimus causa nostræ; ita dum æternam expetimus felicitatem, ut nos charitate convertamur in Deum, tenet ipse Deus ultimi finis, ac primæ causæ rationem. Docuit nos hanc præclaram doctrinam S. Pater Augustinus scribens lib. VIII. Confess. cap. 10. *Inveni longe me esse à te in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso, Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me.* Legite librum inscriptum *Les véritables maximes de Saints*, editum Parisiis anno 1699. adversus illum, quem ante duos annos evulgaverat Archiepiscopus Cameracensis.

CAPUT XVII.

De Amore proximi, & ordine Charitatis.

SUMMARIUM.

1. Quomodo diligendus proximus.
2. Primo loco diligendi Parentes.
3. Secundo diligendi filii.
4. Tercio diligenda uxor.
5. Non licet uxori se alteri submittere consentiente viro.

6. An liceat viro usum uxoris alteri permittere ad mortem evadendam.
7. Quarto diligendi propinqui & amici.
8. Quinto diligendi pauperes.
9. Qui teneantur dare Eleemosynam, quid dare, & quibus.
10. Eleemosynarum Ordo.

1.
Quomodo
diligendus
proximus.

CARITATIS secundarium objectum esse proximum, liquet ex præc. cap. 14. ac proximum diligendum esse propter Deum, demonstrat ipsemet ordo charitatis. Insinuat præceptum dilectionis proximi Levit. XIX. 18.

Matth. XXII. 39. Joannis XIII. 34. & Epist. 1. cap. IV. 21. aliisque in locis compluribus. Exercetur autem cum proximo charitas, dum hoc cum eo agitur, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum, juxta

Au

Augustini doctrinam in 1. de Doct. Ch. cap. 22. Decipitur quisquis putat se proximum diligere, dum externa tantum amoris exhibet argumenta, neque illum interno affectu prosequitur: quæ fallax opinio, ut diximus cap. 15. ab Innoc. XI. proscripta fuit. Nam primo charitas non est, quæ ex corde non oritur; sed charitatis dissimulatio, improbat ab Apostolo 2. ad Corinth. vi. 6. Deinde præcepta recto fine servari debent; atque non habetur finis rectus absque charitate sinceri cordis, auctore eodem Apostolo 1. ad Timot. 1. 5. Præterea nisi omnia membra compatiuntur & congaudeant, quod non fit absque interiori amoris sensu, aut mortua sunt, aut est in corpore schisma, ut inquit idem Apostolus cit. Ep. ad Corinth. xii. 25. Igitur non verbo, *vel lingua* diligendus est proximus, sed, (inquit Joan. 1. Ep. iii. 18.) *opere, & veritate*; id est, cum sinceritate cordis, tum operum exhibitione. Quamnam sint hæc opera novit quisque puerulus ex Christianis catechesibus: nec paucioribus verbis queunt ad memoriam revocari, quam vulgari disticho:

*Visito. Poto. Cibo. Redimo. Tego.
Colligo. Condo.
Consule. Carpe. Doce. Solare. Re-
mitte. Fer. Ora.*

Dixi pag. 12. cur latum non sit speciale præceptum diligendi se ipsum; sed hoc comprehendere in dilectione proximi facile demonstratur, quoniam cum dictum est, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, simul & tui abs te dilectio non est prætermissa. Deinde ille se satis diligit, qui sedulo agit, ut summo & vero perfruatur bono: ideoque actum satis de amore sui ipsius, ubi præscriptus est amor Dei; ille quippe solus se novit diligere, qui Deum diligit. Agnosceis, opinor, seita S. Patris. ex 1. de Doct. Christ. cap. 26. & ex libro de Morib. Eccl. cap. item 26. mutuata. Nisi homo se ipsum diligit, ut perfecto amore inhaereat Deo; erit amor, qui tantum differt à charitate, quantum à virtute vitium, eritque cupiditas radix malorum, quæ non habet Deum creatorem, sed hominis deceptorem. Appellari solet *amor proprius*, quo homo vel se, vel quæ sunt extra se, diligit propter se. Ne subrepat tam perniciosus amor; gaudendum hominibus de prole temporali, si spiritu junguntur Deo, ut docuit Christus, quando mulier clamavit, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti*, Lucæ xi. 27. Lu-

cere debet splendor doctrinæ, vel probitatis; ut quibus lux illa affulget, *glorificent patrem, qui in cælis est*: ait idem Christus Mat. v. 16. Laudanda est animorum virtus, corporum pulchritudo, decus auri, *cum pietate venerandi Creatorem, non cum libidine possidendi creaturam*: inquit S. Pater lib. iv. contra Julian. cap. 14. num. 66. Contemnendum denique quidquid ad Dei charitatem non refertur; divitiæ, fama, incolumitas, cultusque literarum: nam & improbus amator Nemesis ajebat Elegia 4. libri 11.

Ite procul Musa, si non prodestis amanti.

Tenent in proximorum ordine priorem locum Parentes; quorum tamen amor Divino præferri non debet, cum & illos præcipiamur deferere, quando in via salutis experimur adversarios. Videtis 1v. præcepti exegesis pag. 43. In hac dilectione præsertim servandus est ordo amoris commendatus in Cant. 11. 4. quia in diligendis parentibus, filiis, uxore, solet carnalis amor motus vividiores exerere. At memoria repetendum, esse nobis Patrem alium, quem oratione quotidiana commemoramus, suam nobis hæreditatem cælesti in patria servantem. In hoc præcellit Genitores, quod hi patres quidem sunt carnis nostræ, at Deus est Pater spirituum, ideoque huic *multo magis optemperabimus*, ait Apost. ad Heb. xii. 9. Præterea genuerunt nos homines, at non formarunt, ignorantes quis, aut qualis esset eorum semine nasciturus; unde pia Machab. parens 2. lib. vii. 22. ajebat: *Nescio qualiter in utero meo apparuisti: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi*. Deinde homines genuerunt filios mortuos, Deus creavit in æternitate mansuros. Patres nutriverunt natos, sed non de suo panem pro esurientibus instituerunt; sed Deus panem de terra produxit, ac terram ipsam frumenti altricem è nihilo. Genitores denique filios hæredes instituunt dum moriuntur, eosque derelinquunt; sed Deus post mortem filios suos in hæreditatem assumit nunquam postea derelicturus. His argumentis demonstrat Augustinus serm. 344. alias 31. inter Sirmondianos, quantâ curâ amor parentum sit dirigendus in Deum.

Asserendum idem est de amore parentum erga filios. Ut enim Deus de-
monstraret quanta ipse præ filiis charitate

2.

Primo loco diligendi Parentes.

lib. 11. 22.

3.

Secundò diligendi filii.

tate sit diligendus, præcepit olim, ut sibi offerrentur primogeniti, qui solent impensus amari. Extat hoc præceptum Exodi xlii. 2. exemplaue Samuelis i. Regum i. 25. Samsonis Judicum xiii. 7. Joannis Baptistæ Lucæ i. 15. Si ergo filii declinent à via Domini, corripienti sunt, assiduisque flagellis plectendi, ne genitoribus fiat severa objurgatio, inferaturque supplicium lib. i. Regum cap. vi. ob nimiam indulgentiam inflatum Heli. In eodem libro Regum cap. iv. legitur vacas, clusis domi vitulis, dum plaustrum cum arca deferrent iisse in directum pergentes, & mugientes, & non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram. Præclarum quod erga filios imitentur patres exemplum, omnem rei domesticæ curam dirigentes in Dei gloriam, neque ob filiorum gemitus vel inopiam à recto charitatis ordine declinantes.

4. Uxorem diligendam habemus in sacris
Tertiò dili- libris Gen. ii. 24. Matth. v. 32. ad
genda uxor. Colossenses iiii. 19. & nihil utilius,
quam vir & mulier bene sibi consentientes, docet Eccl. xxv. 1. Licitam esse humanam erga conjuges charitatem ob vinculum glutineque necessitudinis, & adeo licitam, ut si defuerit reprehendatur, demonstrat S. Pater sem. 349. alias 52. de tempore num. 2. At optime advertit charitatem istam posse esse etiam impiorum, paganorum, Judæorum, hæreticorum. Idcirco distinguit eo loci charitatem humanam licitam, illicitam, & Divinam. Humanam appellat, quam exigit naturæ necessitudo, sentiuntque etiam aspides, tigrides, leones: illicitam eam dicit, quâ unâ fit caro in permixtione meretricis, & amatoris; non enim locum habet in viro & uxore, ubi licet, ubi concessum est, ubi honestum est: sed ubi turpe, ubi illicitum, ubi damnabile: Divinam illam, quæ cum humanâ licitâ permanet, sed amat conjugem, filiosque secundum Christum, secundum Deum eis consulens, & in eis odio habens, si Christum habere noluerint. Scripsi nonnulla de hujusmodi honesto, divinoque amore Tom. iiii. pag. 255. Legi poterit Ludovicus de Ponte de Christiana perf. Tom. 2. Tract. v. Apostolus ad Ephesios v. ait diligendam à viro uxorem, ut diligitur à Christo Ecclesia, atque ut diligitur corpus suum: scilicet, ut studeat ejusdem salutis, neque ullis immunditiis eam polluat, aut pollui sinat, quemadmodum Christus sanctificavit Ecclesiam mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut eam sibi exhiberet non habentem rugam,

neque maculam. Exemplum autem corporis eò spectat, ut quemadmodum caput corpori, ita vir uxori salutaria ac necessaria provideat. Quare prior mariti inspectio est, ut uxor vitam ducat probam, honestam, mundissimam.

Refelluntur tam expressâ Apostoli doctrinâ, qui post Nicolaitas probantes promiscuum usum mulierum, asseruerunt licere uxori viro consentiente alteri ipsam submittere: quod tam absurdum est, quam opinari, an Christus queat tradere diabolo Ecclesiam suam. Adversus obscenos illos conclamant sceddissima adulterii flagitia: quæ damnat lex naturæ, nec ignota Ciceroni libro 2. de legibus, Horatio libro i. ferm. Sat. 3. & Ulpiano adulterium recensente *inter probra naturæ turpia*: damnat lex Divina Exodi xx. 14. Matth. v. 32. Ad Thessalonicenses prima iv. 4. damnant humanæ leges citatæ libro xx. 20. damnat Augustinus ferm. 9. de decem Chordis num. 11. ferm. 51. num. 22. lib. 1. de ferm. Dom. in M. cap. 16. ac in 1. de libero arb. cap. 3. num. 6. Augustino consentiunt alii Patres apud Nat. Alex. dissert. xxix. primi Sæc. Accedunt illata marito injuria, morum corruptela, confusio proles, ac patrimoniorum alienatio. Adde quæ consequuntur scelera, cum veneficia ad partum abjiciendum ne formæ dissimilitudine prodant maternum crimen, tum virorum cædes, ut Candaulis Lydii, Agamemnonis, Fabriciani, Argyropili, ac, ne aliunde petamus exempla, quam ex historia sacra, Uriæ. Demum adulterii turpitudinem confirmant condigne multati auctores, necati ab Hippomene juncti curribus, cæsi mille plagis, sectique ab Ægyptiis, Romæ præcipitati à Tarpejo, obruti Hebræorum lege lapidibus. Legite Heraclidem, Brissonium, & Laurentium Lucensem, vi. & viii. Volum. Græc. Antiq.

At Jacobus Platellius in Synopsi pag. edit Duac. 159. scribit Augustinum lib. 1. An liceat viro usum uxoris alteri de Serm. Domini in monte cap. 29. non audere peccati damnare eum, qui ad evadendam mortem usum uxoris suæ alteri viro permiserit. Paucis excutien-
6. An liceat viro usum uxoris alteri permittere ad mortem evadendam.
nunc 16. S. Pater ait: *Sed non ita est æstimandum, ne hoc etiam femina viro permittente facere possit videatur; quod omnium sensus excludit: quamquam nonnulla causa possint existere, ubi & uxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debere videatur.* Quorum verborum sensus est, nunquam esse licitum consentiente marito uxorem adulterari; quo-

quoniam, tametsi videatur id aliquando exigi ab amore maritali ad salvandam conjugis vitam, id tamen **OMNIUM SENSUS EXCLUDIT**, ut pro vita corporis anima fornicationis crimine commaculetur. Deinde aſſert quod imperante Conſtancio narrabatur contigisse Alexandriæ circa annum 343. excusataque amorem mulieris, quæ non libidinis causa, sed ut vitam mariti redimeret, eo jubente, sui copiam fecerat Accindyno. Tum factio narrato: *Nil, inquit, in alteram partem disputo, liceat, cuique æſtimare quod velit; non enim de Divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt, ſed tamen narrato hoc factio, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus quod in illa muliere viro jubente commiſſum eſt, quemadmodum antea cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.* Quibus duo aſſumat: unum, nolle diſputationem inſtituere de veritate hiſtoriæ, quæ negari poſſet; cum non ſit è ſacris libris deprompta: alterum hoc factum non ita horrorem incutere, ut adulteria patrata absque ullo mortis diſcrimine, neque illud ita reſpui ab humano ſenſu; reſpui tamen, quia omne adulterium *omnium ſenſus excludit*. Accurate iſta notanda ſunt, nam alii cum Platelio mentem Auguſtini non perceperunt. At legite Norbertum Elbecque in diſſert. Theolog. de Advert. req. ad peccandum pag. 210.

7. Quarto diligendi propinqui & amici,

Quæ dixi de amore conjugum, eadem aſſerimus de dilectione omnium propinquorum & amicorum: hos enim recte diligimus, dum recti rerum æſtimatores ordinatam habemus charitatem, non æque diligentes quod vel minus vel amplius diligendum eſt, omniaque diligentes propter Deum, Deum vero propter ſe ipſum. Vid. Aug. in 1. de Doct. Chriſt. cap. 27. At religioſi fratres etiam majori, quam fratres carnis ſunt amore diligendi, propterea quod inſtituta ſunt canobiorum regula, ut imitemur Chriſti diſcipulos, & naſcentis Eccleſiæ fervorem, atque mutua dilectione gratiæ ſpiritum ſoveamus & augeamus, ut Chriſtus præcepit Joan. xi 11. 34. Quo in loco charitatis ordinem non prætermiſit, ſed præcipiens ut diligamus invicem, ſicut ipſe dilexit nos, oſtendit fratres diligendos propter Deum, illorumque ſalutem exemplo Chriſti curandam, ut una fruamur Patris hæreditate, quam nobis Salvator tanta dilectione promiſit, acquiſivit, diſpoſuit. Habet hæc fraternitas perfectionis ſuæ formam, ſi quantum ad animum ſpectat. Idipſum dicamus omnes,

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

in eodem ſenſu, eademque ſententia: quantum ad corpus attinet, *habentes alimēta, & quibus tegamur*, hiſ contenti ſimus: quantum ad officiorum munera, exequamur omnia *ſine murmurationibus & baſitationibus*. Tradidit hæc præcepta Apoſtolus 1. ad Corin. 1. 10. Prima ad Timoth. vi. 8. ad Philipp. 11. 14. ac diligentius ſervanda ſunt, quam vota ſcribentis carmine cvii. ad Leſbiam,

*Ut liceat nobis tota producere vita
Alternum hoc ſanctæ fœdus amicitia.*

Diligendi præ cæteris pauperes, ſubſidioque eleemoſynarum juvandi. Nil vehementius urgent ſacræ literæ: nam largiri eleemoſynam Eccleſiaſticus 1. 8. appellat *reddere debitum*: ſemen illam eſſe gratiarum ac repromiſſæ benedictionis, teſtatur Apoſtolus 2. ad Corin. 1x. 6. non poſſe Deum diligere, qui habens huius mundi ſubſtantiam non ſublevat pauperum indigentiam, docet Joan. 1. Ep. 111. 17. de hoc præſertim in extremo iudicio reddendam eſſe rationem, liquet ex Mat. xxv. 42. Pluribus argumentis eandem eleemoſynam inculcant Patres: Baſilius hom. adverſus divites, ex quo meminiffe oporteat communis natariæ: Chryſoſtomus hom. 2. de Lazaro, ex quo rapina ſit ſuperflua denegare iis, pro quorum neceſſitate nobis collata ſunt: Auguſtinus tract. 5. in Epist. Joan. ex quo divites ac pauperes redempti ſint uno pretio: Thomas de Villanova Conc. de Divo Martino, ex quo tenacitas convincat incredulitatem noſtram, & exprobrat maximam erga bonorum omnium largitorem ingratiſtudinem. Veterum quoque Gentilium legibus filii pauperum ac divitum eodem cibo alebantur, nec fas erat publice feſtum agere, niſi iis, qui omnibus vici ſui pauperibus proſpexiſſent. Legi poterit in Srenarum hiſtoria Lipenius.

Quæri ſolet, qui ad faciendam eleemoſynam teneantur, quid debant elargiri, & quibus mendicis. Teneantur ii, quibus eſt liberum diſtribuendarum rerum dominium: unde uxor, filiiſque impertiri non poſſunt, niſi quæ ſiſ, ut impendant pro libito, conceduntur, ut ſunt in conjuge *paraſberna*, id eſt, quæ ſponſo dantur præter dotem; & in filiis *ſamalias caſtreſia*, ſcilicet, quæ aut ex officinis, aut in inſitiis acquiruntur. Utrique tamen diſtribuere poſſunt, quæ Rector domus tacita conſeſione permittit, nec gravat familiam

U u

ino

inopiâ. Idem asserendum de iis, qui voto paupertatis sese obstrinxerunt: in quibus tamen animadvertendum est cedere quidquid acquirunt in jura communitalis. Distribuendum autem est quod superest, ex cap. 111. Lucæ 11. & xi. 41. at non quod superest cupiditati, & avaritiæ, cui nihil superest; nunquam enim impletur avaritiæ cupido, ut inquit cap. v. 9. Ecclesiastes. Quærendum igitur quod sufficiat operi Dei, non quod sufficiat cupiditati, ut inveniatur superflua pauperibus eroganda, juxta Augustini præceptionem in Psalmum cxlviii. n. 12. Quidquid possidetur mala fide, aut furto, aut vitioso ludo comparatum, clamat ad Dominum; neque potest pauperibus erogari: nam scriptum est, Tob. iv. 7. *Ex substantia tua fac elemosynam*; & Prov. 111. 9. *Honora Dominum de tua substantia*. Falluntur ergo qui ad pecuniam iniquitate acquisitam referunt ea verba Lucæ xvi. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; nam eo sensu *mammona iniquitatis* dictum est, quo *dextera iniquitatis*, cap. præcedenti: quia nempe divitias hujus sæculi habent etiam iniqui. Ita Augustinus serm. 41. num. 6. & 49. num. 11. aut quia umbræ divitiarum sunt, non veræ divitiæ, & in illis soli iniqui constituent spem; atque copiam beatitudinis suæ; inquit idem Augustinus lib. 2. qq.

Evang. q. 34. Demum eroganda est elemosyna pauperibus etiam improbis, neque avertenda facies ab ullo pauperum, ut inquit eodem loco Tobias; at quoniam *multam malitiam docuit otiositas*, auctore Ecclesiast. xxxi. 11. 28. contingere potest, ut melius sit erroneos in operationem mittere, quam fovere beneficiis acediam.

Eleemosynarum ordo est, ut prius quisque sibi victum, & vestitum provideat *sufficientem ac mediocrem*, non deliciosum ac pomposum: deinde parentibus, si pauperes sint, quantum prævalet, largiatur: postea servos, & ancillas nec esurire, nec algere permittat: posthac quidquid, excepto mediocri, & congruo victu, & vestitu, sive de militia, sive de agricultura, sive aliunde provenierit, tanquam Christo petenti, & esurienti, pauperibus humiliter, hilari vultu, ac profusa beneficentia distribuat; eo quidem fine, ut orationes ejus exaudiantur, vita commutetur in melius, deleantur mala præterita, adveniatque sempiterna felicitas. Hæc ex Augustino epist. 243. num. 12. serm. 39. num. 6. & lib. 2. de serm. Domini in M. cap. 2. quibus & charitas erga proximum, & hujus charitatis ordo explicatur, *brevissimis testimoniis, sed nisi fallor, idoneis, & quibus suscepta rei satisfiat*. De morib. Eccl. Cath. cap. xxvi. num. 50.

CAPUT XVIII.

De dilectione inimicorum, necnon de bello, & monomachia.

SUMMARIUM.

1. Præceptum est diligere inimicos.
2. Obiectio, & solutio.
3. Tria requisita ad iustum bellum.
4. Propositio I. Demonstratur.

5. & 6. Objectiones, & Solutiones.
7. Propositio 2. Probatur.
8. Obiectio & Solutio.

I.
Præceptum
est diligere
inimicos.

INIMICORUM quoque dilectionem esse in præcepto, liquet ex Matth. v. 44. ubi Scribis interpretantibus versum 18. cap. xix. Levitici, *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, de solis Judæis, ac sibi sanguine ac progenie conjunctis, ait Christus, *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*: non novam legem ferens, sed interpretans veterem, in qua præscriptam etiam dilectionem inimicorum, haud obscure colligitur ex cap. xxiii. 5. ubi præcipitur sublevandum & asinum odientis jacentem sub onere. Infertur eadem inimicorum dilectio ex Matth. vi. 12. ubi

oratione dominica petitur debitorum dimissio ea pactione, ut pariter homo dimittat injurias odio habentibus. Eandem urgent Paulus ad Rom. xii. 17. ac Petrus in priori Epistola, 111. 9. Patres, ac Theologi omnes, docentes teneri nos ad exhibenda hostibus communia dilectionis officia; cum externa salutationum, hortationum, elemosynarum; tum interna affectus, compassionis, & precum. Quod & rationi consentaneum est, quia habent nobiscum communem naturam, quia eodem pretio redempti sunt, quia eandem hereditatem expectant.

Si